



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GBARNGANAE*** QUIBUS DAM LOCIS AB
ECCLESIA MONROVIENSI DISTRACTIS
NOVA DIOECESIS GBARNGANA CONDITUR IN LIBERIA

De Monroviensi cogitantes archidioecesi longe quidem lateque patenti, deque evangelizationis opere in singulis eius partibus fovendo curam agentes, censemus postulationi concedendum esse, quam pronuper Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praepositi ad Nos detulerunt, id nunc iudicantes bene fieri, si nova dioecesis in memorata Africae regione condatur. Re igitur rite perpensa, iis quoque consentientibus quorum interest, hisce Litteris ex probata Congregationis quam diximus sententia hodie recepta exque Apostolica potestate Nostra haec, quae sequuntur, iubentes statuimus. Ab archidioecesi Monroviensi integrum seiungimus plagam « Lofa County », eius finibus et « Nimba County » et « Bong County » continentur, eademque civilibus finibus triplicis illius « County » propriis definita novam dioecesim condimus nomine Gbarnganam, quam Metropolitanae Monroviensi archidioecesi suffraganeam constituimus, simul decernentes ut episcopalis novae dioecesis cathedra in ipsa urbe Gbanga sedem habeat ad templum Sancti Spiritus. Simul praeterea mandatum venerabili Fratri Romaeo Panciroli damus, Archiepiscopo titulo Nobensi atque Apostolico in Liberia Pro-Nuntio, ut quae hisce ipsis Litteris iure sanximus, ea curet exsequenda, debitiss facultatibus ei factis, una cum libertate idem officium delegandi ad alium virum ecclesiastica dignitate insignitum, addito onere videndi ut certa peractae exsecutionis litterarum exempla eidem Congregationi pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Quod reliquum est, has Litteras none volumus et in posterum ratas esse, contrariis quibuslibet haud obstantibus.

Datum Romae, die septimo decimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

JOSEPHUS Card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

*A.A.S., vol. LXXIX (1987), n. 3, pp. 240-241

© Copyright 1986- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana